

## INCIPIIT LIBER ECCLESIASTES

<sup>1</sup> Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.\*

<sup>2</sup> [Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas.†

<sup>3</sup> Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole?‡]

---

\* **1:1 Verba Ecclesiastæ.** HIERON. in Eccle., t. 3. Tribus nominibus vocatus est Salomon, etc. usque ad et æqualis magister est, et nescit se esse regem. ALBINUS. Tradunt Hebræi hunc librum Salomomonis esse agentis pœnitentiam, quia in sapientia divitiisque confusus per mulieres Deum offendit. Secum enim omnia vana reputavit esse et ad miseriam devenire eos qui in eis spem ponunt. HIERON. Allegorice.. Pacificus et dilectus Dei Patris Filius, etc., usque ad unde: **In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum** Psal. 18.. † **1:2 Vanitas vanitatum.** ID. Pro **vanitas vanitatum** secundum quosdam interpretes possumus dicere, etc., usque ad donec veniat quod perfectum est. Antequam suam ponat sententiam, quemdam apparatus videtur et ornamentum facere, cum dicit: **Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.** Postea a majori, id est ab homine incipit, ostendens ipsum vanitati subjectum, id est mutabilitati. Et hoc est, **vanitas,** etc. Vanitas omnis homo vivens: quanto magis cætera! Unde, **Vanitati subjecta est creatura, non volens, sed propter eum qui,** etc. Quidquid enim non esse potest, vanitas dici potest, quia mutari potest. Solus Deus semper idem est quod est. Quod autem mutatur, quodammodo evanescit, et non est quod erat; ad comparisonem Creatoris, omnis creatura vanitas potest dici et quasi nihilum computari. HIER. Si cuncta quæ fecit Deus, etc., usque ad cogor non semel, sed bis dicere, **Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.** ‡ **1:3 Quid habet amplius homo.** ID. Post generalem sententiam, etc., usque ad sed nudi in terram redeunt, unde sumpti sunt.

<sup>4</sup> [Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat. §

<sup>5</sup> Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens, \*\*

<sup>6</sup> gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. ††

<sup>7</sup> Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant. ‡‡

<sup>8</sup> Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu,

---

§ **1:4 Generatio præterit,** etc. ID.. Prima recedit generatio Judæorum, etc., usque ad nos autem Deum laudamus non in uno sæculo, sed in sæculis sæculorum. \*\* **1:5 Oritur sol et occidit.** ID. Ipse sol, etc., usque ad qui oritur fideli, occidit infideli. †† **1:6 Vadit ad austrum,** etc. ID. Hinc existimare possumus, etc., usque ad et ita ad orientem revertitur. **In circumitu pergit spiritus.** ID. Ipsum solem spiritum vocat, etc., usque ad alia frigus consumeret. ‡‡ **1:7 Omnia flumina intrant in mare.** Dicunt philosophi, aquas dulces, quæ mari influunt, vel ardente sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula. Sed Ecclesiastes noster et ipsarum Conditor aquarum, dicit eas per occultas terræ venas ad capita fontium regredi et de matrice abyssu in sua semper ebullire principia. Possumus per flumina, et mare, humanum genus accipere, quod in terram, unde sumptum est redit, secundum illud: **Terra es, et in terram ibis** Gen. 3.. Nec terra impletur multitudine mortuorum. Et Hieronymus dicit torrentes non flumina, eo quod cito transeant. HIER. Omnes torrentes, etc., usque ad quomodo in proverbiiis filiæ sanguisugæ.

nec auris auditu impletur. §§

<sup>9</sup> Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. \*\*\*

<sup>10</sup> Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos. †††

---

§§ **1:8 Cunctæ res difficiles.** Non potest homo causas et naturas rerum explicare, nec oculus ad plenum intueri, nec auris, instruente doctore, ad summam scientiam pervenire. **Videmus enim nunc per speculum in ænigmate et ex parte, donec veniat quod perfectum est** I Cor. 13., quod in hoc mortali corpore esse non poterit. Hæc sententia contra eos est qui sine labore et dicendi studio sanctas Scripturas se novisse putant, et se sapientes, cum insipientes sint. \*\*\* **1:9 Quid est quod.** HIER. De his videtur dicere, etc., usque ad ut requiesceret Deus ab omnibus operibus suis die septima. **Quid est quod,** etc. De naturis in principio mundi creatis, et de successione earum, quomodo veniunt et transeunt; ut homo moritur, homo nascitur, eadem natura est nascentis, quæ fuit morientis. Sic de avibus, piscibus, serpentibus et omnibus animantibus; sic de herbis, arboribus et aliis naturis nihil novum invenitur quod antea non fuerit: nihil præteritum quod post non fiat. Unde, **Requievit Deus die septimo ab omni opere suo** Gen. 2., a novarum creatione naturarum, non a gubernatione, secundum illud: **Pater meus usque modo operatur, et ego operor** Joan. 5.. Sic ex primordialibus rerum seminibus totius sæculi tempus naturali cursu peragitur. ††† **1:10 Nec valet,** etc. HIER. **Estne verbum,** etc., usque ad et prædestinatione Dei jam ea facta sunt quæ futura sunt. **Jam enim præcessit.** Sicut præterita quæ olim fuerunt apud nos, abscondit oblivio, sic quæ nunc fiunt, qui nascituri sunt, scire non poterunt; silentio enim peribunt, et quasi non fuerint, abscondentur. Vanitas enim vanitatum et omnia vanitas, quia omnia more fluentis aquæ transeunt, et non redibunt. Cui sententiæ totus mundus acclamat, et maxime genus humanum.

11 Non est priorum memoria; sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo.]<sup>‡‡‡</sup>

12 [Ego Ecclesiastes fui rex Israëli in Jerusalem;

13 et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.]]<sup>§§§</sup>

14 Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce univ-  
ersa vanitas et afflictio spiritus.\*

15 Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.†

16 Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Jerusalem; et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.

17 Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam; et ag-

---

<sup>‡‡‡</sup> **1:11 Non est priorum.** HIER. Seraphin propterea, etc., usque ad unde post, **Non est memoria sapienti cum stulto in æternum.**

<sup>§§§</sup> **1:13 Et proposui in animo meo,** etc. Proposuit ergo Ecclesiastes, etc., usque ad quam sponte incurrerunt. Hucusque generaliter de vanitatibus sæculi: hinc ad seipsum redit, et quis esset ostendit, quomodo omnia cognoverit, et docuerit, unde: **Et proposui in animo meo,** et cætera. **Hanc occupationem.** HIER. Verbum **anian** Aquila, LXX et Theodotio quod latine **dis-tensio,** etc., usque ad ad superiorem sensum cuncta referuntur.

\* **1:14 Vidi,** etc. Consideravi omnia mundana, et vidi vanitatem et malitiam esse, id est, miserias spiritus, quibus animus diversis fatigatus cogitationibus laborat cognoscere, quod homini non conceditur. HIER. Verbum **Routh** Aquila et Theodotio, etc., usque ad quibus anima diversis cogitationibus affligitur. † **1:15 Perversi.** ID. Perversus non poterit adornari, etc., usque ad ut non possit comprehendi.

novi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus:‡

<sup>18</sup> eo quod in multa sapientia multa sit indignatio; et qui addit scientiam, addit et laborem.]

## 2

<sup>1</sup> [Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruam bonis; et vidi quod hoc quoque esset vanitas.\*

<sup>2</sup> Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?†

<sup>3</sup> Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum, quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.‡

<sup>4</sup> Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas;§

<sup>5</sup> feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus;

<sup>6</sup> et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium.\*\*

<sup>7</sup> Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, et magnos ovium

---

‡ **1:17 Erroresque et stulti.** ID. Prima sapientia est stultitia caruisse, etc., usque ad supra disseruisse sufficiat. \* **2:1 Dixi ergo.** HIER. Postquam in multitudine sapientiæ, etc., usque ad tunc non vanitas erit, sed veritas. † **2:2 Risum reputavi errorem.** ID. Ubi nos dicimus, etc., usque ad læta sibi et prospera promittunt. ‡ **2:3 Cogitavi in corde.** ID. Ebrietas, etc., usque ad quid vitandum. § **2:4 Plantavi vineas.** In domo divitis, etc., usque ad sine qua cætera ligna siccabuntur. \*\* **2:6 Et exstruxi mihi piscinas,** etc., usque ad et serotinam expectat de cælo pluviam.

greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem;††

<sup>8</sup> coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda;‡‡

<sup>9</sup> et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.§§

<sup>10</sup> Et omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ

---

†† **2:7 Possedi servos:** timore servientes, et spiritualia desiderantes, nec timentes. Vernaculos eos dicimus, qui sunt quidem de Ecclesia, et prædictos servos et ancillas antecedunt; nec tamen liberi sunt. Vernaculi dicuntur filii servorum, qui in domo domini sui nati sunt. **Armenta quoque et magnos.** Hi sunt, qui absque ratione et scientia Scripturarum laborant quidem in Ecclesia, sed nondum ad hominem perveniunt, id est ad imaginem Dei. **HIER. Et quidem possessio armenti.** Nota quod, etc., usque ad vel vernaculi. ‡‡ **2:8 Substantias regum.** ID. Dogmata philosophorum, etc., usque ad et prudentias prudentium reprobant. **Feci mihi cantores.** Cantor, etc., **usque ad, Cantores et cantatrices,** uterque sexus me oblectaret. **Delicias filiorum hominum.** Sapientiam scilicet, quæ, sicut paradus, poma habet varia et multiplices voluptates. De qua Psalmista: **Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui** Psal. 36.. Et, **Torrente voluptatis tuæ potabis eos** Psal. 35.. §§ **2:9 Qui ante me fuerunt in Jerusalem.** Ad litteram: Non est magna laus. Ante Salomonem enim regnaverunt Saul, cujus tempore regnum cœpit, et David, sub quo satis parvum erat regnum. **Perseveravit.** Alii, **stetit,** id est, ei in carne posito sapientia permansit, non proficiens per momenta, sicut in nobis, sed in plenitudine stans.

præparaveram; et hanc ratus sum partem meam si uterer labore meo.\*\*\*

11 Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.]†††

12 [Transivi ad contemplantam sapientiam, erroresque, et stultitiam. (Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem, factorem suum?)

13 Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.‡‡‡

14 Sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat: et didici quod unus utriusque esset interitus.

15 Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

16 Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus.

---

\*\*\* **2:10 Et omnia quæ.** Sed quanto studio ista crescebant, tanto sapientia deerat, quia per omnia desideria rapiebat, putabamque hunc esse fructum laborum meorum, si libidini servirem; sed tandem in me reversus, vidi omnia vana esse. ††† **2:11 Sub sole.** HIER. Christo. In sole posuit tabernaculum suum. Qui ergo ad solis claritatem ordinem constantiamque nondum pervenit, in eo Christus non habitat. ‡‡‡ **2:13 Et vidi quia tantum.** Cum hoc cogitarem, quod sapiens, lux, stultus, tenebræ: illius oculi in cælo, hujus, in terra, repente mihi surrepsit, quare communi morte pereant, communi miseria deprimuntur, et hujusmodi.

17 Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.]

18 [Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me,§§§

19 quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum?

20 Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

21 Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsitâ dimittit; et hoc ergo vanitas et magnum malum.\*

22 Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

23 Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Et hoc nonne vanitas est?

24 Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est.†

25 Quis ita devorabit et deliciis affluet ut ego?

26 Homini bono in conspectu suo dedit Deus

---

§§§ **2:18 Rursus detestatus.** HIER. Spirituali labore sancti die noctuque in lege Domini meditantur, etc., usque ad sapientia enim non est terrenas divitias congregare. **Habiturus.** Hoc ipsi Salomoni contigit, qui non sui similem habuit filium Roboam. Ex quo intelligimus filium nec dignum quidem hæreditate patris, si stultus sit. \* **2:21 Nam cum alius.** ID. Supra de incerto hærede, etc., usque ad ex ratione. † **2:24 Nonne melius.** ID. Postquam omnia pertractavi, etc., usque ad quantum sufficit?



sapientiam, et scientiam, et lætitiā; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congregat, et tradat ei qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.]‡

### 3

<sup>1</sup> [Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo.\*

<sup>2</sup> Tempus nascendi, et tempus moriendi; tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.†

<sup>3</sup> Tempus occidendi, et tempus sanandi; tempus destruendi, et tempus ædificandi.‡

<sup>4</sup> Tempus flendi, et tempus ridendi; tempus plangendi, et tempus saltandi.§

<sup>5</sup> Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi, tempus amplexandi, et tempus longe fieri

---

‡ **2:26 Homini bono.** ID. Corrigeni mores suos, etc., usque ad et spiritus præsumptione composita esse. \* **3:1 Omnia tempus habent.** HIER. Incertum et fluctuantem statum conditionis humanæ supra docuit, etc., usque ad nec loco nec tempore continentur. † **3:2 Tempus plantandi,** etc. ID. Nulli dubium est, etc., usque ad quia perfecta charitas foras mittit timorem. ‡ **3:3 Tempus destruendi,** etc. Non possumus ædificare bona, nisi prius destruxerimus mala, sicut Jeremiæ dictum est a Deo, ut ante eradicaret et suffoderet et perderet, et postea ædificaret atque plantaret Jerem. 1.. § **3:4 Tempus plangendi,** etc. Plangendum est nunc ut in futuro saltemus, illam saltationem, quam David ante arcam testamenti II Reg. 6.. Saulis filiæ displicens, magis placuit Deo.

ab amplexibus.\*\*

<sup>6</sup> Tempus acquirendi, et tempus perdendi; tempus custodiendi, et tempus abjiciendi.

<sup>7</sup> Tempus scindendi, et tempus consuendi; tempus tacendi, et tempus loquendi.††

<sup>8</sup> Tempus dilectionis, et tempus odii; tempus belli, et tempus pacis.]‡‡

<sup>9</sup> [Quid habet amplius homo de labore suo?

<sup>10</sup> Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. §§

<sup>11</sup> Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inueniat homo

---

\*\* **3:5 Tempus spargendi lapides**, etc. HIER. Miror, etc., usque ad et ad pœnitentiam vocat. **Tempus amplexandi**. Tempus amplexandi sapientiam, et contemplationi strictius inhærendi; et tempus longe fieri a complexu, scilicet sapientiæ, ut curæ temporis, et his sine quibus vivere non possumus, serviamus. †† **3:7 Tempus tacendi et tempus**. HIER. Docemus in Ecclesiis quod nescimus. Omnes artes absque doctore non discimus, sola hæc tam vilis et tam facilis, ut præceptore non egeat. Nihil nobis videtur esse rectum, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. **Tempus loquendi**. Disciplina Pythagoræ est per quinquennium tacere, et postea eruditos loqui. ‡‡ **3:8 Tempus dilectionis**. Tempus amandi post Deum uxores, liberos, propinquos, et tempus odiendi eos, in martyrio. Vel, **Quoniam nunc videmus per speculum in ænigmate** I Cor. 13., etc. Tempus erit diligendi præsentiam Dei, et tempus odiendi, quando, facie ad faciem cernentes, et in melius proficientes, incipiemus odisse et despiciere quod amavimus. **Tempus belli**. Modo, non agentibus pœnitentiam; tempus pacis in futuro, quando omnis Israël salvus fiet; **Tempus belli**, ne sis securus, accipe armaturam Dei. §§ **3:10 Vidi afflictionem quam dedit**, etc. HIER. Dicitur quod propterea Deus, etc., usque ad usque ad finem sæculi fecerit crescere, manere et mutari.

opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

<sup>12</sup> Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua;\*\*\*

<sup>13</sup> omnis enim homo qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.†††

<sup>14</sup> Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

<sup>15</sup> Quod factum est, ipsum permanet; quæ futura sunt jam fuerunt, et Deus instaurat quod abiit.]

<sup>16</sup> [Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiæ iniquitatem:‡‡‡

<sup>17</sup> et dixi in corde meo: Justum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.§§§

<sup>18</sup> Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis.

<sup>19</sup> Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant om-

---

\*\*\* **3:12 Et cognovi.** HIERON. Ideo colonus in mundo datus est homo, etc., usque ad hinc: ††† **3:13 Omnis homo qui comedit et bibit,** etc., Multæ enim nunc tribulationes justorum, in futuro autem non erit labor in Jacob. **Didici,** etc. ID. Nihil est in mundo novum, solis cursus, lunæ vices, terræ et arborum siccitas, vel viror, cum mundo condita sunt; et hæc idcirco Deus certa ratione temperavit, ut Dei Providentiam in his intelligamus, et timeamus a facie Dei. Vultus autem Domini super facientes mala. ‡‡‡ **3:16 Vidi sub sole.** ID. Cum in hoc mundo iudicium et veritatem requirerem, etc., **usque ad, Omnia enim tempore suo requirentur.** §§§ **3:17 Dixi in corde meo.** ID. Quasi, etc., usque ad et impleri terram pecoribus et armentis.

nia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati,

<sup>20</sup> et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.

<sup>21</sup> Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?\*

<sup>22</sup> Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet ut post se futura cognoscat?†

## 4

<sup>1</sup> [Verti me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrimas innocentium, et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos,\*

<sup>2</sup> et laudavi magis mortuos quam viventes;†

<sup>3</sup> et feliciorum utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.‡

---

\* **3:21 Quis novit.** ID. Non dicit, etc., usque ad et rei quasi dubiæ certus assertor sit. **Deorsum.** Ad inferos. Fieri enim potest ut cito mutentur, et sæpe qui docti videbantur, ad inferos ducuntur; et simplices rustici coronantur. † **3:22 Et deprehendi.** Superiori errore turbatus, etc., usque ad quæ in mundo futura sunt postea.

\* **4:1 Verti me ad alia.** Plenius hunc locum David in psalmo LXXII, et Jeremias in suo volumine prosequuntur. † **4:2 Et laudavi.** HIER. Alii hunc locum ita intelligunt, etc., usque ad et tandiu eas esse beatas quandiu perfruantur choro angelico.

‡ **4:3 Et feliciorum.** Quia nec vidit hæc mala, nec expertus est: nec secundum errorem eorum qui putant animas esse, antequam homines fiant. Melius est itaque omnino non esse quam male vivere: unde, **Melius illi erat si natus non fuisset homo ille,** etc. Matth. 14..

<sup>4</sup> Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi; et in hoc ergo vanitas et cura superflua est.

<sup>5</sup> Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens:

<sup>6</sup> Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.

<sup>7</sup> Considerans, reperi et aliam vanitatem sub sole.

<sup>8</sup> Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est et afflictio pessima.]

<sup>9</sup> [Melius est ergo duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. §

<sup>10</sup> Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.

<sup>11</sup> Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet?

<sup>12</sup> Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei; funiculus triplex difficile rumpitur.

<sup>13</sup> Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum. \*\*

<sup>14</sup> Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum; et alius, natus in regno, inopia consumatur.

<sup>15</sup> Vidi cunctos viventes qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

---

§ **4:9 Melius est.** ID. Post sollicitudines et miserias, etc., usque ad calorem vitæ æternæ accipere non valemus. \*\* **4:13 Melior est puer.** ID., *usque ad finem cap.*

16 Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum, et qui postea futuri sunt non lætabuntur in eo; sed et hoc vanitas et afflictio spiritus.]

17 [Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.]

## 5

1 [Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.\*

2 Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus inveniatur stultitia.†

3 Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio, sed quodcumque voveris redde:‡

4 multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.§

5 Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo: Non est provi-

---

\* **5:1 Ne temere, Deus.** Quia omnia audit et videt, et stultitiam tuam arguit quamvis ipse in cælo, et tu in terra. † **5:2 Multas.** Quasi sicut qui multa cogitat, ipsa frequenter somniat, sic in stultitiam recidit, qui ultra se, de Deo disputat. Vel, quia modo videmus per speculum et in ænigmate, quasi per somnum, æstimamus nos tenere, quod non habemus, et tamen nihil habemus. ‡ **5:3 Cum votum voveris.** HIER. Melius est non promittere, etc., **usque ad, vapulabit multis plagis.** § **5:4 Multoque.** Sicut Judæi qui dixerunt: **Omnia quæcunque præcepit nobis Deus, faciemus** Exod. 24, 32.: et adoraverunt vitulum.

dentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.\*\*

6 Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri; tu vero Deum time.]††

7 [Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii;‡‡

8 et insuper universæ terræ rex imperat servi-  
enti.§§

9 Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas.

10 Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

11 Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.]\*\*\*

---

\*\* 5:5 *Ne dederis os tuum.* Quasi ne dicas te ex infirmitate carnis tuæ peccare, tanquam reflectens culpam in auctorem. *Coram angelo.* Qui astat unicuique, et omnia Deo nuntiat: ne putes omnia latere Deum. †† 5:6 *Ubi multa sunt.* Quasi, *Ne dederis os tuum,* etc., quia hæc vita est quasi somnia, et multa videntur vera, quæ sunt falsa; sic et excusatio tua. ‡‡ 5:7 *Si videris calumnias.* Ac si dicat: *Ne dicas coram angelo, non est Providentia:* quod est contra eos qui omnia casibus agi putant, et Dei providentiam negant. *Si* tamen *videris calumnias egenorum,* etc. §§ 5:8 *Universæ terræ,* etc. Deus patiens et redditor, qui dicit, *Cum accepero tempus, ego justitias iudicabo.* \*\*\* 5:11 *Dulcis est somnus.* HIER. Divitem avarum, etc., usque ad quoniam ipsi Deum videbunt.

12 [Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui.†††

13 Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium qui in summa egestate erit.

14 Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo.

15 Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?

16 cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.]

17 [Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus; et hæc est pars illius.‡‡‡

18 Et omni homini cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo: hoc est donum Dei.

19 Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.]

## 6

1 [Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines:\*

---

††† 5:12 *Est et alia infirmitas.* Possumus hæc de philosophis, etc., usque ad cum scriptum sit: *Perdam sapientiam sapientium,* etc. ‡‡‡ 5:17 *Hoc itaque mihi visum est bonum,* etc. Melius dicit esse, etc., usque ad quam inspirat Dei gratia in adjuvando bona opera. \* 6:1 *Est et aliud malum.* Describit, et aliter divitem avarum, qui cum omnia habeat bona, nihilominus nimia parcitate se cruciat, nesciens cui congregat.



<sup>2</sup> vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas et miseria magna est.†

<sup>3</sup> Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ergo pronuntio quod melior illo sit abortivus.‡

<sup>4</sup> Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus.

<sup>5</sup> Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali.

<sup>6</sup> Etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis, nonne ad unum locum properant omnia?

<sup>7</sup> Omnis labor hominis in ore ejus; sed anima ejus non implebitur.§

<sup>8</sup> Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita?

<sup>9</sup> Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. Sed et hoc vanitas est, et

---

† **6:2 Vir cui dedit Deus divitias.** HIER. Potest hoc de populo Israël accipi, etc., usque ad ad iudicium properabimus omnes.

‡ **6:3 Sepultura.** ID. Adeo avarus, ut nec de sepultura cogitet, vel, sæpe pro divitiis occisus abjicitur insepultus: vel, quia nullam sibi memoriam relinquat, cum omnibus bonis affluat. § **6:7 Omnis labor:** hoc est, quod laborando didicit homo, id est rationalis, in ore habet, quia alios docet.

**Anima ejus non implebitur.** ID. Quia semper cupit discere quod doceat: et hoc habet stulto plus, quia cum beato paupere tendit ad Christum, qui est vita et qui ait: **Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.**

præsumptio spiritus.

<sup>10</sup> Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus; et scitur quod homo sit, et non possit contra fortio-rem se in iudicio contendere.\*\*

<sup>11</sup> Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.]††

## 7

<sup>1</sup> [Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? aut quis ei poterit indicare quod post eum futurum sub sole sit?

<sup>2</sup> Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis.\*

<sup>3</sup> Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

---

\*\* **6:10 Qui futurus est.** ID. Omnium hominum, qui futuri sunt corpore circumdandi, jam Deus vocabulum novit; ne possit homo respondere contra artificem, quare ita, vel ita sit factus. Quanto enim amplius quæsierimus, tanto magis ostenditur vanitas nostra et verba superflua; et non ex præscientia Dei tollitur liberum arbitrium, sed causæ ante præcedunt quare unumquodque sit factum. †† **6:11 Verba sunt.** Quasi, Dei quidem filius futurus est homo, tu autem noli ultra inquirere qualis, quomodo et cujusmodi, sed crede generationem ejus. \* **7:2 Melius est nomen bonum.** HIER. Memoria bonorum operum, quæ delectet auditorum corda, sicut nares unguenta: Unde, **Memoria justorum in laude, nomen impiorum putrescet. Et dies.** Hoc est, Melius est miseræ vitæ tormenta, et tribulationes, et labores moriendo evadere, quam ad hæc nasci et sustinere.

4 Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.†

5 Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.

6 Melius est a sapiente corripui, quam stultorum adulatione decipi;‡

7 quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. Sed et hoc vanitas.

8 Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.

9 Melior est finis orationis quam principium. Melior est patiens arrogante.§

10 Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.

11 Ne dicas: Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.\*\*

---

† **7:4 Melior est ira,** contra peccatum suum vel alienum, quia corrigis, non quia ultionem cupis Prov. 27.. ‡ **7:6 Melius est a sapiente.** Meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula. **Verba adulantis magis insensata ad spinas,** id est, sæculi curas moventia, quæ ducunt ad gehennæ incendia: sapiens perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia turbatur. Ergo de sapiente in profectu posito est accipiendum qui aliquando turbatur de iniquitate iudicii, cum Deus statim non punit. § **7:9 Melior est finis.** Perfectio. **Qui perseveraverit salvus erit.** Melior est consummata justitia, quam inchoata, et orationis epilogi quam exordia; hic certamen, ibi victoria. **Arrogante.** Huic arroganti contrarius est, qui in Evangelio pauper spiritu legitur Matth. 5.. \*\* **7:11 Quid putas?** Aliter: Sic debes vivere, ut semper præsentis dies sint tibi meliores, quam præteriti. Semper est enim tempus operandi, ne cum cœperis decrescere, dicatur: **Currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati?** Gal. 5.

12 Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.

13 Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

14 Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.††

15 In die bona frui bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniatur homo contra eum justas querimonias.‡‡

16 Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.

17 Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.

18 Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.§§

19 Bonum est te sustentare justum: sed et ab illo ne subtrahas manum tuam; quia qui timet Deum nihil negligit.\*\*\*

---

†† **7:14 Considera opera Dei.** Quam magna, quam mirabilia; alium gratuita pietate elegit, alium justo judicio despicit, unde, **Jacob dilexi, Esau odio habui** Mal. 1.. Et, **Universæ viæ Domini misericordia et veritas.** ‡‡ **7:15 Malam diem** HIER. judicii, quæ mala videtur malis, unde, **Dies illa dies iræ,** etc. Vel, bona et mala, id est prospera et adversa, prout juste evenerint, sustine viriliter. Omnia enim juste, quamvis occulte, et hoc est **non inveniatur,** etc. §§ **7:18 Et noli esse. Impii non dimidiabunt dies suos,** quasi, Noli impœnitens provocare Deum, ut etiam viventi inferat supplicium, sicut fecit Dathan et Abiron. \*\*\* **7:19 Nihil negligit.** Omnibus sine respectu personarum benefacit. Vel, in prosperis et in adversis providet.

20 Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis;†††

21 non est enim homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet.

22 Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur ne accomodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi;‡‡‡

23 scit enim conscientia tua quia et tu crebro maledixisti aliis.

24 Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: et ipsa longius recessit a me,

25 multo magis quam erat. Et alta profunditas, quis inveniet eam?]

26 [Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentium:

27 et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus; vincula sunt manus illius. Qui placet Deo effugiet illam; qui autem peccator est capietur ab illa.§§§

28 Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et

---

††† **7:20 Decem principes.** HIER. Angelos, qui civitati nostræ, id est Ecclesiæ, tanquam custodes, id est auxiliores, præsumt. Et decem dicuntur, quia denarius numerus est perfectus. ‡‡‡ **7:22 Sed et cunctis.** Docet sapientem maledicorum linguas non attendere, ne cum ipse idem faciat, sibi velit ignosci et alios reprehendi. Si enim hoc fecerit, semper curiosus et iratus erit, quia nec servorum linguas compescere valebit. §§§ **7:27 Venatorum,** dæmonum, qui venantur animas nostras, quorum mulieres retia, et sagenæ hæretici.

alterum ut invenirem rationem,\*

<sup>29</sup> quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni.†

<sup>30</sup> Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?‡

## 8

<sup>1</sup> [Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.

<sup>2</sup> Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei.\*

<sup>3</sup> Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet.

---

\* **7:28 *Ecce hoc.*** Hoc inveni, etc., usque ad faciliorem ad casum est mulier. ***Ut invenirem rationem.*** Quamcunque rem vel discretionem inter homines et eorum mores: quis perfecte bonus nisi solus Christus? † **7:29 *Virum.*** Christum, qui caput est omnium bonorum, quod figuratur per millenarium qui perfectus numerus. ‡ **7:30 *Solummodo hoc.*** HIER. Ne videatur communem omnium hominum naturam damnare, et Deum ejus auctorem accusare, vigilanter adjecit, ***Solummodo,*** etc. Quasi dicat: Homo quidem bonus factus est, sed libero arbitrio derelictus, sponte cadit et immiscet se vanis curis et superfluis. ***Quis talis ut sapiens,*** etc. ID. Dixit superius vix bonum hominem inveniri, cum a Deo homines sint boni facti. Nunc quæ bona eis dederit tanquam gratulabundus enumerat, sapientiam, rationem, arcana cognoscere. \* **8:2 *Ego os regis observo.*** HIER. Videtur quidem præcipere juxta Apostolum, etc., usque ad hujus voluntati parendum.

<sup>4</sup> Et sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?†

<sup>5</sup> Qui custodit præceptum non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.

<sup>6</sup> Omni negotio tempus est, et opportunitas: et multa hominis afflictio,

<sup>7</sup> quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.

<sup>8</sup> Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis: nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.]‡

<sup>9</sup> [Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

<sup>10</sup> Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum. Sed et hoc vanitas est. §

<sup>11</sup> Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

<sup>12</sup> Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur; ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui ver-

---

† **8:4** *Nec dicere ei quisquam potest*, etc. ID. Præcepta Dei non sunt discutienda quare illa præceperit, sed facienda. ‡ **8:8** *Non est in hominis ditione*. ID. Quasi, non debes moleste pati, si futura non scire potes, si a potentioribus impiis sæpe opprimeris, quia cito omnia finiuntur, et mors omnia æqualiter rapit. § **8:10** *Vidi impios sepultos*, etc. Nec in morte pœnitet, quorum quanto accusatio rarior et difficilior, tanto peccandi libertas videtur eis esse major.

entur faciem ejus.

<sup>13</sup> Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.

<sup>14</sup> Est et alia vanitas quæ fit super terram: sunt justi quibus mala proveniunt quasi opera egerint impiorum: et sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum judico.\*\*

<sup>15</sup> Laudavi igitur lætitiã; quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ quos dedit ei Deus sub sole.

<sup>16</sup> Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem quæ versatur in terra. Est homo qui diebus et noctibus somnum non capit oculis.

<sup>17</sup> Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.]

## 9

<sup>1</sup> [Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem. Sunt justi atque sapientes, et opera

---

\*\* **8:14 Sunt justi quibus mala proveniunt**, etc. Ut filiis Aaron sacrificantibus secundum Hebræum, et Manasses post tanta mala a captivitate in regnum reductus feliciter vixit.



eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit.\*

<sup>2</sup> Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.]

<sup>3</sup> [Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt: quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducuntur.

<sup>4</sup> Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam; melior est canis vivus leone mortuo.

<sup>5</sup> Viventes enim sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.†

<sup>6</sup> Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt; nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur.

<sup>7</sup> Vade ergo, et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.

<sup>8</sup> Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.

<sup>9</sup> Perfruere vita cum uxore quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi

---

\* **9:1 Sunt justii**, etc. **Melior est canis.** HIER. Canis vivus, pauper justus, leo mortuus, potens iniquus, qui nihil secum aufert de mundo. † **9:5 Mortui vero.** ID. Quidam asserunt etiam post mortem crescere, etc., usque ad creaturas rationales et promereri.

sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita et in labore tuo quo laboras sub sole.

<sup>10</sup> Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.]‡

<sup>11</sup> [Verti me ad aliud, et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus. §

<sup>12</sup> Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.\*\*

<sup>13</sup> Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam:

<sup>14</sup> civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.

<sup>15</sup> Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam; et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.††

<sup>16</sup> Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis

---

‡ **9:10 Erunt.** Id est, valebunt tibi post mortem. § **9:11 Bellum.** Victorum vel etiam imitatores belli, secundum illud: **Sine menihil potestis facere. Divitias.** Bonorum operum. \*\* **9:12 Sicut pisces capiuntur.** Hæretici quoque habent sagenam suam missam, et laqueos quibus capiant simplices. †† **9:15 Vir pauper.** Christus, de quo Psalmus: **Ego sum pauper et dolens** Psal. 68.. Et in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi Col. 2.. **Per sapientiam suam.** Non per potentiam.

contempta est, et verba ejus non sunt audita?

<sup>17</sup> Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.‡‡

<sup>18</sup> Melior est sapientia quam arma bellica; et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.]

## 10

<sup>1</sup> [Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia.

<sup>2</sup> Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.

<sup>3</sup> Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.

<sup>4</sup> Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne demiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.]\*

<sup>5</sup> [Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis:

<sup>6</sup> positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.

<sup>7</sup> Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos.

<sup>8</sup> Qui fodit foveam incidet in eam, et qui dissipat sepem mordebit eum coluber.

<sup>9</sup> Qui transfert lapides affligetur in eis, et qui scindit ligna vulnerabitur ab eis.

---

‡‡ **9:17 Verba sapientium.** HIER. Qui favorem et plausum non quærunt, sed salutem audientium: nec clamant ut audiantur, sed cupiunt, ut exaudiantur. **Inter stultos.** Stulti qui non quærunt proficere, sed laudem sibi acquirere. \* **10:4 Locum.** Stationem fidei retine, ne vincaris: et ne perficias si jam male cogitaveris. **Qui fodit.** Lacum aperuit, et effodit eum: et incidit in foveam quam fecit.

<sup>10</sup> Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia.

<sup>11</sup> Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.†

<sup>12</sup> Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum;

<sup>13</sup> initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.

<sup>14</sup> Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit; et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

<sup>15</sup> Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.]

<sup>16</sup> [Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.

<sup>17</sup> Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam.

<sup>18</sup> In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.

<sup>19</sup> In risum faciunt panem et vinum ut epulentur viventes; et pecuniæ obediunt omnia.‡

<sup>20</sup> In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet

---

† **10:11 Si mordeat.** HIER. Quasi, sicut serpens occulte mordens venenum infundit, sic et qui detrahit. Vel, serpens, id est diabolus, mordet in silentio, quando qui, diabolo suadente, peccavit, non vult confiteri. ‡ **10:19 In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur bibentes.** Prædicant, magis ut alliciant quam ut proficiant. **Pecuniæ obediunt omnia,** etc. Et sacerdotes in mercede docebant.

pennas annuntiabit sententiam.]§

## 11

<sup>1</sup> [Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.\*

<sup>2</sup> Da partem septem necnon et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.†

<sup>3</sup> Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effudent. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.‡

<sup>4</sup> Qui observat ventum non seminat; et qui considerat nubes numquam metet.§

<sup>5</sup> Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

<sup>6</sup> Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc

---

§ **10:20 In cogitatione tua,** etc. Simpliciter monet, ne vel ira vel levitate majoribus maledicamus, quia sæpe eis, etiam cum non timebamus, quæ diximus, nuntiantur, etiam si in cubili. \* **11:1 Mitte panem.** Aptos fructificationi. † **11:2 Da partes septem.** HIER. Vetus Testamentum, cujus septima dies, scilicet sabbatum, præcipue honoratur; **necnon et octo,** quod est novum; sine altero enim non valet alterum. ‡ **11:3 Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem,** ID. quasi diceret: Locum quem hic tibi præparaveris, in futuro habebis. § **11:4 Qui observat ventum, non seminat.** ID. Ac si dicat: Omnipotenti te tribue, vel corporale solatium, vel Dei verbum ne forte prætereas eum qui dignus est accipere; et omni tempore. **Qui observat ventum.** In media tempestate seminandum est, quia nescimus quæ sit voluntas spiritus, et hoc est, **Quomodo,** etc.

aut illud; et si utrumque simul, melius erit.]\*\*

<sup>7</sup> [Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.

<sup>8</sup> Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

<sup>9</sup> Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ: et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.††

<sup>10</sup> Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua: adolescentia enim et voluptas vana sunt.]

## 12

<sup>1</sup> [Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent;\*

<sup>2</sup> antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam;†

---

\*\* **11:6 *Mane semina semen tuum,*** etc. ID. Omni tempore, scilicet a mane in vesperum, et e converso: vel in pueritia et in senectute. ***Qui enim perseverat, salvabitur.*** †† **11:9 *Lætare ergo juvenis,*** etc. ID. Hinc usque ad finem libri, etc., usque ad se iudicandos sciant. \* **12:1** Hinc usque ad finem capituli legitur tribus modis, scilicet de iudicio, senectute, captivitate, et serviunt quædam glossæ quandoque duabus sententiis, quandoque vero inveniuntur secundum omnes sententias. † **12:2 *Antequam tenebrescant sol et lumen, et stellæ et luna,*** etc. HIER. Sol convertetur in tenebras, etc., usque ad nubes et pluvix cessant ei.

<sup>3</sup> quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina;

<sup>4</sup> et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsolescent omnes filiæ carminis:‡

<sup>5</sup> excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via. Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparitis, quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes. §

<sup>6</sup> Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam,\*\*

<sup>7</sup> et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.††

<sup>8</sup> Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.]‡‡

<sup>9</sup> [Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes,

---

‡ **12:4 Et claudent ostia in platea,** ne videant lusus juvenum: omnia enim talia sunt eis importabilia. **Et consurgent.** Quia non possunt dormire refrigerante sanguine, siccato humore quibus alitur sopor. § **12:5 Dissipabitur capparitis.** HIER. Capparitis renibus valet, etc., usque ad in adversitate vero desistunt a bono.

\*\* **12:6 Antequam rumpatur funiculus.** Redit ad superiora, ubi ait: **Memento Creatoris tui,** etc., simili fine sententiam concludit. †† **12:7 Et revertatur.** Antequam revertaris in Babyloniam unde es egressus in lumbis Abrahæ, et incipias in Mesopotamia conteri, unde profectus es. ‡‡ **12:8 Vanitas vanitatum.** Post descriptionem humanæ fragilitatis et mortis, pulchre quod proposuerat concludit: **Vanitas vanitatum.** Quasi, noli luxuriari, noli delicias quærere, cum scias te celeri fine transire et ad iudicium festinare.

docuit populum, et enarravit quæ fecerat; et investigans composuit parabolas multas.

<sup>10</sup> Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos.

<sup>11</sup> Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. §§

<sup>12</sup> His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis; frequensque meditatio, carnis afflictio est.

<sup>13</sup> Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo, \*\*\*

<sup>14</sup> et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.]

---

§§ **12:11 Verba sapientium.** HIER. Ne videatur temere post legem per Moysen, ipso Deo præmonente, datam, nova præcepta cudere, dicit hæc verba sapientium esse. \*\*\* **12:13 Finem loquendi.**

Quia diversorum diversas sententias, tanquam concionator, induxerat: hoc fine omnes conciliat, scilicet **Deum time.** Hoc solum aiunt Hebræi in auctoritate habitum, quia hic intentionem suam ostendit, cum videatur in multis ad voluptates hortari.



**Bibbia Vulgata Clementina na 1598**  
**Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria**  
**Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 18 Apr 2025 from source files  
dated 31 Aug 2023

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5